

REIP. AC ECCLESIAE RIGENSIS

ANTISTITES,

Utriusq; Lumina atq; Columina,

Quin imo

Aures quascunq; doctas,

Ut

DE HENRICI IV.
MAGNI GALLIARUM
REGIS PARRICIDIO,

Nobilem & Ornatissimos Juvenes,

HENRICUM VESTRINGIUM,

RIGA, ET

OTTONEM SEHLMANNUM,

NITOVIA LIVONOS,

Ad XXII. Junii horam IX. matutinam,

In Lycei nostri Acroaterio,

*Verba facturos pronò excipiant affectu,
demissè ac officiosè invitat*

M. HENNINGUS WITTE,

ELOQ. ET HIST. P.P.

RIGÆ, Typis Besfemeserianis.



Am iñanes sub humana facie nonnunquam reperiuntur belluæ, quæ eò usque procedere audent vesaniæ, ut ritè etiam electorum existant Principum suorum percussores longè crudelissimi. Utrum verò id brutæ solummodo peragant rationis impetu; an sacro potius Furiarum

œstrò excitati, in æquilibrium vacillat animus, utrinque nutans. Quid enim atrocius, majoriqve stupore percipiendum, quàm si cruentas Regi inferant manus cives sacramento eifidelitatis obstricti? Quid turpius unquam & detestabilius, quàm si privati parricidæ gladius Patre privet Patriam? Non deest tamen sæpe horrendi hujus flagitii color sive prætextus, à pessimis pessimè fictus atq; formatus. Tyranni se haud diutius ferre posse sævitiam, clamosâ voce contendunt. Bona quippe subditorum, præso parta sudore, pro unius duntaxat libidine, multis eripi, eaq; non, ut decet, publicæ devoveri saluti, sed in Principis luxum consumi, intolerandum prorsus arbitrantur. Inde impotentia, furor, ambitus, mox factio surgit & cædes impia. Verùm enim verò quis, quæso, potestatem largitus est impotentibus imperantem, licet morosum, iniquum, ferocem, judicio petere, vel penitus interimere? Quis jus concessit in caput sævire augustum & inviolabile? Atrectatio, furtum, rapina privatorum unicè damna exprimunt; at cum verenda Principum Majestas tentatur modò, sacrilegium audit nefandum scelusqve ultimum. Quid si prorsus tollatur? Quid si intemeratus eorum sanguis profundendo profanetur? Vindicabit sanè, qui sceptræ solus confert mortalibus, eademq; quando & ubicunq; libuerit, aufert & confringit. Supremus quippe rerum omnium Arbiter, immensâ, quâ pollet, sapientiâ, & inexplorabili voluntate, auctis jam in orbe homi-

hominibus, & ad societatem naturali instinctu ductis, ordinem instituit, capite illis ac gubernatore appositò. Vicarios suæ Majestatis in terra conspicuos constituit aliquos, qui juberent; cæteris verò parendi munus imposuit. Divinam proinde tentant potentiam, quotquot Magistratum, cœlo dimissum, aggrediuntur, eundemq; iniquissimæ libidini suæ immolant. Detestamur equidem, si barbarâ sævitate feritate eminentis Domini axioma decoratus, neglectaq; virtutis semitâ, in vitiorum transeat diverticula; populo tamen interficere talem haud erit integrum. Absit, ut novus reviviscat Tarquinius, & violentissima Virginibus stupra inferat; absit, ut procedat nostrò iterum ævò alter quasi Nero, urbiumque delectetur incendiis; absit, ut imperet denuò Vespasianus, & rapacissimum quemq; ad ampliora spontè promoveat officia; subditorum nihilominus nemo, fidei ac obsequii immemor, in sanctissimum imperantis caput conjurare debet. Quam diu itaque Princeps Reip. assidet clavo, summaque rerum gubernat, nec suo renunciat imperio, nec ab ipso DEO, vel Ejus jussu aut Fatis, deponitur, tam diu oportet quoque subjectum impetuosas ab eo manus abstinere. Eleganter non minus quam verè alicubi Tacitus, Politicorum ille smaragdus: Ferenda, inquit, Regum ingenia, neque usui crebræ mutationes. Solicitis equidem votis boni semper Principes optandi, qualescunque verò, haud aliter ac sterilitas, hiems, cæteraque naturæ mala, tolerandi, non tollendi, ferendi, non feriendi unquam. Negari nequit, quibusdam initio liberum fuisse gentibus, hunc vel illum sibi Regem eligere, vel id penitus intermittere; at non peræquè semel ac unanimi consensu electum pro lubitu repudiare, solioque dejicere. Virgini nupturæ integrum esse solet arbitrium; uxor, sive rumpendi vinculi conjugalis, sive imperandi marito, sive eundem

dem abdicandi, nullam retinet potestatem. Tam ægrè,
semel quæ placuerunt, revocantur. Sæpe quod primum
ex voluntatis directione pendebat, necessitatis post factum
fortitur effectum. Imperator Valentinianus de assumen-
do regiminis socio, à militum Romanorum agmine com-
pellatus, regiò planè ac egregiò reposuit spiritu: Ut me
ad imperium eligeretis, in vestra situm erat potestate: At
verò, postquam me jam elegistis, quod petitis, in meo jam
est arbitrio, non vestro. Vobis, tanquam subditis, com-
petit parere, mihi autem, quæ facienda sunt, præscribere.
Quid? quod si plebi plerumque male sanæ ac inconstanti
impunè liceret in superiores insurgere, quos Reges, etiam
optimos, pro Tyrannis petulanter jugularent? Quoti-
es fastu vel odio fascium prætextum fingerent, quò sce-
lus suum obducerent, regnantesque è vita abducerent?
Verùm quò successu, experientia, veritatis magistra, in
hunc usq; diem satis superq; edocuit. Severas namq; ju-
stissimi Numinis animadversiones neutiquam effugiunt,
qui in viros principes tam graviter delinqvunt. Percus-
sorum Julij Cæsaris, attestante Svetoniò, neque triennio
quisquam superstes, neque suâ morte defunctus est. Da-
mnati omnes, alius casu periit, pars naufragiò, pars præ-
lio, nonnulli semet eòdem illò pugione, quò violaverant
Cæsarem, interemerunt. Plura eaque certissima divinæ
Nemesis indicia Historicorum passim produnt Annales, quæ
heic enumerare singula necessum non est. Duo in primis
exempla perquam tragica nostrum vidit seculum, quæ ut
immensâ flagitiorum atrocitate prorsus sunt stupenda; sic
omni posterorum tradi memoriæ oppidò digna. Horum
unum in Anglia, alterum in Gallia contigit. Antetrigin-
ta nempe, & quod excurrit, annos, magnæ Britanniæ Rex,
CAROLUS I. STUARTUS, Londini injustissimè non ma-
gis

gis quàm sceleratissimè, à populo suo, vel militibus potius, sanguinario sistebatur iudicio. Ibi cum nec ad objecta responderet, nec iudices illos, qui iudicandi sibi potestatem arrogarant, agnosceret, in ferale eheu! pegma producebatur, mox spectante populo, admirante universò terrarum orbe, à duobus, & quidem larvatis, lictoribus (horreo dicere) securi percutiebatur. Sic innocenti sanguine suo, quam armis non poterat, regie Majestatis auctoritatem tutatus est. Harum fax & tuba turbarum Oliverius extitit Cromwellus, qui per totam vitam majori conatu nihil egit, quàm ut alius videretur, alius esset, sui semper dissimillimus. Libertatis dici voluit defensor, cum supplantator esset severissimus, pacis cupidissimus, cum minimis favillis circa regnum orientibus oleum semper pro aqua suffunderet, religiosissimus, cum divinum cultum inter Dominatus instrumenta connumeraret, Regiique nominis contemptor, cum sub turpi Protectoris schemate plus quàm regie imperaret. Quin imo nobilissimum extinguere regnum, aliquot regia stirpe ac, ut cum Poeta loquar, Jove natos proscribere, superiorè Parlamenti domum abrogare, adeoque unò quasi ictu omnia Britannorum fundamenta evertere neutiquam erubuit. Verùm circulus ille æternus, cujus centrum ubique, circumferentia nusquam, cuncta justis dum intuetur oculis ac punit, Regicidii hujus osorem se comprobavit ac ultorem, siquidem ab exilio revocatum regni heredem avito reddidit throno, nec diu superesse atque florere parricidas permisit. Cui non æquè cognitum? Quis famâ, dudum mundi angulos implente, non percepit, quid, in ipsa Parisiorum urbe, ævi hujus annò decimò, quarto & decimo Maji die, à perditissimo Engolismensi Alastore, Francisco Ravaillo, fuerit peractum? Magni ille animi Principem raræque virtutis, HENRICUM QUARTUM, Gallie & Navarre Regem, in summa omnium

omnium lætitia, inter gratulantium certamina, rhedâ vectû
geminatô ad cor illatô cultri ictu confecit, suorumqve ocu-
lis repente eripuit. Non unum hætenus simplicemqve,
malorum occursum, sed multiplices è gehenna Furias Eu-
menidesqve Regi huic fortissimo suscitavit Cerberus, quæ
tam per se, quàm pedibus manibusqve rabidorum homi-
num, interitum illius venarentur. Factum id inde credi-
tur, quod Rex Borboniæ stirpis in Reformata educatus do-
ctrina, Papæis suspectus semper ac formidabilis fuerit. Ete-
nim jam antecessoris sui HENRICI III. tempore, qui & ipse,
per extremæ impietatis cultorem, Jacobum Clementem,
minimè clementē, tectū cucullô sicariū, venenatô confosus
cultellô miserrimè cecidit, teterrimum illud, & quantū Gal-
lia sustinuit unquam, sacerrimum Ligæ monstrū se exeruit.
Abominabilis & portentosa hæc bestia, sub speciosissimo
Religionis boniqve publici nomine, non ut serpentes olim
Indici, Pliniô auctore, solidos cervos taurosq;, sed totas uti-
qve provincias & populos integros abligurivit. Et quamvis
nefaria ista conjuratio felicitate atq; sapientiâ HENRICI IV.
ad incitas redacta, & penitus dissipata videretur; tamen,
quod interdum in pestilentia contingere solet, ut etiam exu-
viæ ægrotorum, venenô afflatæ, longo tempore pôst creent
periculum; ita Ligæ purgamenta tam diligenter everri-
haud potuerunt, quin turbam Gallorum bene magnam de-
nuò corripent. Ex quibus, argutis dubio procul Jesuita-
rum technis ac hypothesibus inductus, ad committendum
ingens parricidium Ravailacus ferocissimè prorupit, Re-
gemq; curru Parisios obambulantem, contemplandi appa-
ratus causâ, quô Reginam pridie coronatam exciperet, præ-
cipiti insultu petiit, vulneravit, occidit. Sicarius mox ap-
prehensus, carceri durissimè mancipatus, exqvissimis
primùm tormentis per singulos artus excarnificatus, qua-
driju-

drijugis deinde divulguseqvis, sine ullo pœnitentiæ signo, execrandum ac detestabilem exhalavit spiritum. De hac perquam immani & inaudita propè laniena ac regicidio historiam dignam omninò credidi, quâ, amplius diducta, in solemnibus Musarum æde à plurimis audiretur. Commendavi ergo non adeò pridem prædictis Juvenibus, ut, pro laudabili ingenii felicitate, duas consignarent orationes, quarum altera Regem, ejusdemque lacrumabile depingeret fatum; altera verò parricidam, & quid pro turpissimo labore pretii seu supplicii obtinuerit, concisè exhiberet. Interest quippe Reipublicæ, ut, sicuti præmia in bene meritos nunquam non conferenda; sic & pœnas, flagitiorum gravitati maximè congruas, ubivis & hodie locorum sustinendas esse, iterum iterumque proponatur. Vix autem aliò commodiori Patronorum inescari aures posse illicitò atque pabulò Declamaturi nostri putârunt, nisi ab hujuscemodi momenti themate applausum sibi captarent. Quocirca Magnificos urbis hujus Rectores, Ecclesiæ Doctores plurimùm Reverendos, imo quoscunque alios, qui præclarum bonorum virorum nomen tuentur, literisque impensè favent, eâ, quâ par est, observantiâ, eò, quò decet, amore rogamus, ut discretos spectabili & amicâ præsentia ornare & animare ne graventur. Id si à Vestra æquitate ac benevolentia impetraverimus, multùm Vosegregarum artium studiis velificari sentiemus, prædicabimus, & ut quimus, ad memoriam conservabimus. Valete, Amplissimi Phrontisterii nostri Curatores, benignissimi pariter opellarum nostrarum Censores, & si commodum est, frequenter ad dictas prolusiones Gymnasticas, sub nundinarum panegyris, confluite. P. P. Rigæ Livonum die XVIII. Junii, Annò recuperatæ salutis

CIO IOC XXCII.

✠✠✠✠)o(✠✠✠✠